

aut successiue, ipsi uel eorum heredes, potuerint uel uoluerint, legitima redemptione mediante, ab ipso Comite Vlrico uel eius successoribus eximere et liberare, tali obligaminis uinculo interserto: quod in casu, quo ipsi Bani Johannes et Stephanus et ceteri Comites Segnie fratres eorum sepius nominati, seu ipsorum aliqui uel aliquis, per se uel per alios subordinatos, premissam compositionem, in toto uel in parte irritando aut infringendo, memoratum Comitem Vlricum in plenum et pacificum dominium, omni in premissa compositione conscriptorum absque contradiccione non intromitterent, uel ipsius et eius heredes successu temporis in eisdem et eorum utilitate et prouentibus non conseruarent, seu ante tempus prenominate legitime redemptionis inquietarent, perturbarent aut dampnificarent, extunc ipsi in facto potencie eo facto conuincantur, ipsi autem Comiti Vlrico, seu eius heredibus, omne ius, interesse et actio predictorum decem Milium florenorum et omnium aliorum de dictis suis iuribus maternis occupatiue et minus licite perceptorum et percipiendorum, remanere debeat semper saluum. Ad que omnia et singula premissa firmiter et inmutabiliter adimplenda partes predictae se astrinxerunt et obligauerunt personaliter, ac nostro in conspectu; uerum quia ad restitutionem omnium et singulorum premissorum noster et uester homines necessario sunt transmittendi, ideo fidelitati uestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus uestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Ladislaus de Zenche uel Georgius de Bykzad, aut alter Georgius de Greben siue Stephanus Rwhyngus de Bathyna, siue Stephanus filius Andree filii Henrici de Rohonch, alijs absentibus, homo noster per nos ad id specialiter deputatus, octauo die festi beati Georgij martyris proxime uenturi, et alijs diebus, ad id aptis et sufficientibus, ad facies prescripte medietatis insule Wegle, nec non prenominatorum Castrorum, uille et uinee ac vniuersarum pertinenciarum et utilitatum earundem, accedendo, introducat prefatum Comitem Vlricum in dominium earundem, eidem et suis heredibus premissis titulo pignoris possidenda; predictorum Johannis et Stephani Banorum ac aliorum fratrum ipsorum Comitum Segnie supranominatorum contradiccione non obstante. Et post hec huiusmodi introductionis et statucionis seriem, ut fuerit expediens, nobis fideliter rescribatis. Datum Posonii in festo beati Ambrosij Episcopi et confessoris Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto. Regnorum nostrorum Anno Hungarie etc. quadragesimo octauo, Romanorum uigesimo quinto, Bohemie quintodecimo, Imperij uero secundo. Vnde nos mandatis ipsius domini nostri Imperatoris et Regis semper obedire cupientes, ut tenemur, una cum prefato Stephano Rwhyng de Bathina, homine sue maiestatis, ad id specialiter deputato, nostrum hominem, uidelicet honorabilem uirum Magistrum Fabianum de Rowycha, socium et canonicum nostrum ad premissa fideliter peragenda nostro pro testimonio transmissimus fidedignum, qui tandem exinde ad nos reuersi, nobis uniformiter retulerunt, quod prefatus homo ipsius Serenitatis, presente dicto nostro testimonio, pretacto octauo die predicti festi beati Georgii martyris proxime preteriti, et alijs diebus ad id aptis et sufficientibus, ad facies prescripte medietatis insule Wegle, nec non prenominatorum Castrorum, uille, uinee, ac vniuersarum pertinenciarum et utilitatum earundem accedendo, introduxisset prefatum Comitem Vlricum earundem in dominium, statuissetque et restatuisset easdem eidem et suis heredibus premissis titulo pignoris possidendas, predictorum Johannis et Stephani Banorum ac aliorum fratrum ipsorum Comitum Segnie prenominatorum contradiccione non